



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119193

§. 129. Joannis Baptistæ Pallottæ Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)

Sæc. XVII.
A. C. 1668.

§. CXXIX.

Joannis Baptistæ Pallottæ Cardinalis obitus.

Inter quatuor Purpuratos, qui hunc annum vitæ suæ exitialem habuere, primus erat Joannes Baptista Pallotta Picens, qui Jurisprudentiæ laurea insignitus, primos honorum gradus Romæ emeruit, ubi utriusque, ut vocant, Signaturæ Referendarius, Ferrariensis Pro-Legatus, & ab Urbano VIII. Lusitanus Collector renuntiabatur, quo in munere etiam apud illos, quibus cum de jurisdictione certaverat, magnam sui nominis æstimationem sibi conciliabat. Romam inde evocatus primo Urbis Prætor, dein Archiepiscopus Theffalonicensis, ac demum ad Ferdinandum II. Cæsarem Sedis Apostolicæ Legatus decernebatur, qua in Legatione non minus Ecclesiæ decorem, quam Principis sui dignitatem constanti fortique animo sustinuit, jure merito ad Purpuram, & Albanensem primo, postea Tusculanam Ecclesiæ Episcopus ab eodem Pontifice nominatus. Ferrariensi etiam Legatione ita functus erat, ut ad pauperum levamen, miserorum solatium, atque oppressorum auxilium vocatus videretur: Tanta

*Vittorell. in
addit. ad
Ciacon.
Ughell. Ital.
Sac.*

Aa 3

etiam

Sæc. XVII. etiam pietate Beatæ Virgini Lauretæ
A. C 1668. næ addictus erat, ut ejus studio Romæ
 quotannis celebritas translata hujus
 Domus solemnī apparatu celebraretur.
 Obiit tandem Romæ eadem hora & die,
 qua natus erat, scilicet vigesima tertio
 Januarii, annos natus septuaginta
 quatuor.

§. CXXX.

*Hieronymi Farnesii Cardinalis
 decessus.*

*Ciaccon. in
 vit. Alex-
 sandri VII.*

Sequentis Mensis die decima octava
 naturæ debitum solvit Hieronymus
 Farnesius patria Romanus, qui gene-
 ris sui nobilitatem raro virtutum splen-
 dore, & vastissimæ eruditionis gloria
 illustrans, dignitates quibus postea
 emicuit, propriis meritis mercatus est.
 primo enim per undecim & his amplius
 annis Referendarii munere summa cum
 laude defunctus, Patrensis Archiep-
 scopus, & Apostolicus ad Helvetios &
 Rhætos Nuntius renuntiabatur, qua
 legatione dissidia inter Ecclesiasticos &
 seculares exorta compescuit, discipli-
 nam Monasticam restituit, religionem
 Catholicam & Curiensem Episcopatum
 ab hæreticorum insidiis & violentiis
 vindicavit, simulque Sedunensi Eccle-
 siæ suo Episcopo diu orbatæ dignum
 Pastorem præfecit. His præclare gestis
 Ro-